

Johannes Vorst Stephan Ram

De Necessario Diatriba

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730155560>

Druck Freier  Zugang



RU phys 1653
Joh. Voithius
Mph. Nam

ΣΥΝΘΕΩ.
DE
NECESSARIO
DIATRIBA,

Qua
IN ILL. ACAD. ROSTOCHIENSI
PLACIDÆ VENTILATIONI
SUBJICIETUR,

à
PRÆSIDE
M. JOH. VORSTIO,

ET
RESPONDENTE
STEPHANO RAM,

Meltorfio - Dithmarso,

Die XXII. Januarij.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC, LIII.

NECESSARIO
DIATRIBA

IN L'ACAD. ROYAL
DE SCIENCES
DE PARIS

M. JON. VORSTIO

STEFANO RAM

Medico - Chimico

DR. XXII

ROSTOCK

Printed at the University Press
of Rostock



Arius ac multiplex vocabuli *Necessarium* usus est apud Latine philosophantes. Similiter & apud Græcos philosophos varius vocabuli ἀναγκαῖον usus apparet. Et Græci quidem vocabuli homonymiam variamq; significationem exponendam sibi sumpsit Aristoteles in eâ parte primæ Philosophiæ, quæ liber Quotiens vulgo appellatur. Nos vero qui de Latini vocabuli usu pauca quædam commentari constituimus, summi Philosophorum legemus vestigia, & tum de ipso Græco, tum quoq; de eo quod illi responder, Latino disquiremus. Subinde quoq; cum de vocum vi disquisiverimus, veras istas doctrinas, quæ his vocabulis exprimi solent, considerabimus.

II. Philosophus suam περὶ τῆ ἀναγκαῖος tractationem his verbis exorsus est: ἀναγκαῖον λέγεται, ἃ ἀνθρώπου ἐνδέχεται ζῆν, ὡς συγκαίως. *Necessarium est sine quo non contingit vivere tanquam concausâ.* Exemplum vero hujus mox subjicit: οἷον τὸ ἀναπνεῖν καὶ ἡ τροφή τῶ ζώῳ ἀναγκαῖον. ἀδύνατον γὰρ ἄνθρωπος τέτων εἶναι, *Quemadmodum τὸ respirare & cibus animali necessaria sunt. Impossibile enim est sine his esse sive existere animal.* Deinde quasi aliam vocabuli vim exponit his verbis: καὶ ὧν ἄνθρωπος τὸ ἀγαθὸν μὴ ἐνδέχεται, ἢ εἶναι, ἢ γενέσθαι, ἢ τι κακὸν διαβαλεῖν ἢ σερηθῆναι. *Etiâ (sc. ἀναγκαῖα necessaria dicuntur) sine quibus bonum non contingit aut esse aut fieri, aut malum aliquid repellere, eoque liberari.* Exempla hujus subjicit ista: τὸ πίνειν τὸ φάρμακον ἀναγκαῖον, ἵνα μὴ κάμῃ. καὶ τὸ πλοῦσαι εἰς Αἰγίαν, μὴ διαβάλλῃ τὰ χεῖματα, *Medicamentam potionem bibere necessarium est, ut non ægrotet, sive ut convalescat. In Aeginam navigare necessarium est ne pecuniam perdat.* De his Philosophi primò monemus, posse priora eorum reduci ad posteriora: atq; ita unum modò significatum hactenus à Philosopho ostensum esse. Τὸ respirare, itemq; cibus animali necessarius est, ἵνα ζῆ ut vivat animal, hoc est, ut existere pergat. Hoc exemplum dico reduci posse ad superiorum posteriora. Dicitur his est, ἀναγκαῖον necessarium dici,

sine quo bonum non contingat esse aut fieri. Tale igitur videtur quoque esse τὸ *respirare*, itemque *cibus*. Sine his enim non contingit bonum aliquod, vitam puta animalis, esse. Certè vita animalis in ejus bonis est numeranda. Hæc verò sine respiratione, sineque cibo esse sive existere non potest,

III. Nos igitur eorum quæ ex Aristotele produximus, præcipuè posteriora observemus: ἀναγκαῖον puta dici omne illud sine quo bonum aliquod non potest esse aut fieri, & sine quo malum non potest evitari aut repelli. Eandem vero vim ac significationem animadvertimus competere quoque Latinæ voci *necessarium*. Dicitur enim Latinè, τὸ *respirare*, itemque *cibum* necessarium esse ad vitam: medicamentum sumere, necessarium esse ad sanitatem recuperandam: in Æginam navigare necessarium esse ad nummos retinendos aut recipiendos. Sed nondum sic plenæ satis sunt ῥήσις istæ: & animadvertere adhuc in illis licet ellipsin quandam. Quod necessarium dicitur ad aliquid, id intelligendum est necessarium esse *alicui*. Plenæ igitur enunciationes tum demum fuerint, si dicam, *cibum animali necessarium esse ad vitam. medicamentum sumere huic vel illi homini ad sanitatem recuperandam esse necessarium*. Sic & Aristoteles, cum primo dixisset, ἀναγκαῖον dici, sine quo non contingat vivere, mox deinde subdit, τὴν τροφὴν τῷ ζῳῷ ἀναγκαῖον εἶναι, *cibum animali necessarium esse*. Rursus autem omittit ibi Philosophus aliud quippiam quod ad orationem complendam est necessarium. Cum dicitur cibus animali necessarius esse, subaudiendum est, *ad quid sit necessarius*, quod nim. necessarius sit *ad vitam*. In alteris exemplis non illud omisit quod proximo huic responderet, sed quod responderet priori. Dicit quidem, Φάρμακον πέν ἀναγκαῖον εἶναι, *iva μὴ κέμνη*, *medicamentum sumere necessarium esse, ne ægrotes*. Vides hic omitti quod voci ζῳῷ, quæ in priori exemplo est, respondeat. Plenè autem dicendum, Φάρμακον πέν τῷ ἀνθρώπῳ ἀναγκαῖον, *iva μὴ κέμνη*, *medicamentum sumere homini necessarium est, ut non ægrotes amplius* (ut ab hoc malo liberetur, & contra boni cujusdam, sanitatis scilicet, fiat particeps.) Latinè concinnius adhuc dixeris, *medicamentum sumere homini necessarium esse ad sanitatem recuperandam*.

IV. Apparet autem ἀναγκαῖον necessarium illud, quod hæcenus consideravimus, duplicem comprehendere respectum; quorum unus

tertio

tertio casu tum in Græcâ, tum in Latinâ Linguâ exprimitur; alter verò
 quarto casu, eiq; præmissâ voculâ *ad*. Quod necessarium dicitur, id in-
 telligendum est *alicui esse necessarium*. Idem quoq; intelligendum est
ad aliquid esse necessarium. Sed alter ille respectus non semper exprimi-
 tur quarto casu. Certè Aristoteles quod Latinè dixeris *medicamentum*
sumere necessarium esse ad ægritudinem depellendam, Græcè sic expressit,
 Φάρμακον πέν ἀναγκαῖον εἶναι ἵνα μὴ κάμῃ. Non dicit, *ὡς τὸ*
μὴ κάμειν ad non ægotandum: sed, *ἵνα μὴ κάμῃ, ut non ægroter*. Scien-
 dum tamen est, ipsos quoque Græcos posteriorem istum respectum,
 quarto casu nonnunquam exprimere. Dicunt Græci, τὸ ὡς τὸν βίον
ἀναγκαῖα ea que ad vitam sunt necessaria. Eadem verò etiam ἀναγ-
 κῆια τῷ βίῳ dicunt. Item τὸ ὡς τὸν βίον; omisâ scil. voce ἀναγ-
 κῆια. Nos τὸ necessarium unâ cum duplici respectu optimè sic defini-
 ri posse putamus: *Necessarium alicui ad aliquid dicitur, si aliquis aliquid*
obtinere non possit, item si malum evitare aut depellere non possit,
nisi id quod necessarium dicitur, existat vel præcedat. Vel, si mavis,
eandem rem adscriptis literis proponamus: A dicitur necessarium τῷ B
ad τὸ C, si B non possit obtinere τὸ C, sine A, hoc est, nisi A existat sive præsens
sit: item si B non possit evitare aut depellere τὸ C, sine A, hoc est, nisi A existat
& præsens sit. Hanc definitionem deinde contrahere licet ad specialia,
 quemadmodum Mathematici suas definitiones & axiomata contrahere
 solent. *Pars Mathematicis dicitur quantitas quantitatis minor majoris,*
eum minor metitur majorem. Hoc ita contrahere licet: Pars dicitur
numerus numeri minor majoris, cum minor metitur majorem. Item: Pars
dicitur linea lineæ minor majoris, cum minor metitur majorem. Sic & axio-
mata contrahuntur. Exempli gratiâ: hoc axioma si equalia equalibus
addas, tota sunt equalia, ita contrahere licet, si æquales lineas equalibus
lineis addas, totæ lineæ sunt æquales. Si æquales numeros equalibus numeris
addas, toti numeri sunt æquales. Sic & superiorem τῷ necessarii defini-
tionem contrahere licet, hoc modo pura, Cibus necessarius dicitur hominè
ad vitam, si homo vitam non possit habere, nisi cibus adsit. Medicamentum
sumere hominè est necessarium ad sanitatem recuperandam, si homo sanita-
tem habere sive ejus particeps fieri non possit, nisi τὸ medicamentum sumere
adsit sive præsens sit, hoc est, nisi medicamentum sumat.

V. Porro vero observandum est, id quod alicui necessarium dicitur

A 3

ad

ad aliquid, quandoq; *facere sive efficere aliquid*: alias verò tantummodò præsens esse & nihil *facere sive efficere*. Cum dico, *medicamentum necessarium esse homini ad morbum depellendum, & ad sanitatem reducendam*, id ipsum quod necessarium dicitur, utiq; efficit aliquid. Medicamenta vim ac potentiam naturalem habent, quâ morbum depellunt. Quædam enim sunt purgantia: quædam refrigerantia: alia vero aliorum generum. Cum autem dico, τὸ φάρμακον μὲν ἀναγκαῖον, ἵνα μὴ κάμῃ, *medicamentum sumere est necessarium, ut non amplius labores sive ægrotet*; cum, inquam,, sic dico, tum illud quod necessarium dicitur, nihil efficit. Τὸ *medicamentum sumere* non est efficiens sanitatis: sed est modò conditio quædam, quæ ad id requiritur, ut medicamentum possit operari. Scilicet quemadmodum ad id ut ignis urat, necessarium est lignum vel stipulam igni admoveri: nec tamen is qui admovet, facit sive efficit actionem istam. Ad actiones naturales, imò & ad artificiales, requiruntur certæ conditiones, quæ nisi adsint, ipsæ actiones fieri non possunt. Ignis non potest urere sive comburere lignum, nisi quis lignum ei admoveat. Faber lignarius non potest trabem dedolare, nisi ad trabem accedat, seq; trabi satis propinquum faciat. Illud tamen *accedere ad trabem* non est causa efficiens dedolationis: sed ipse homo faber efficiens est. Sic neq; is qui lignum igni admovet vel in ignem conjicit, combustionis causa efficiens est. Ille item qui medicamentum sumit, hoc est, in stomachum immittit, non est causa efficiens sanitatis: sed ipsum medicamentum in stomachum immissum, causa est. Exempli vice esse quoq; possunt emplastrum & is qui emplastrum vulneri applicat. Ipsum emplastrum vim habet, quâ facit, ut vulnus coëat. Is vero qui applicat, ejus rei causa efficiens non est: sed actio ipsius, applicatio emplastri puta, est conditio quædam, quæ ut emplastrum operari possit, requiritur. Capiamus adhuc aliud exemplum: Mercatori qui in longinuas terras trajicere, indeq; merces apportare cogitat, navis necessaria est ad merces apportandas. Sunt item ad idem illud necessarii homines quidam qui in navi operas faciant. Navis quæ necessaria dicitur, nihil efficit. neq; enim dum per undas fertur, agit aliquid, sed modò patitur propellitur primò ab hominibus, deinde à vento. Homines autem qui necessarii dicuntur, utiq; agunt, & efficiunt aliquid.

VI. Apparet igitur sic satis manifestè, id quod necessarium ad aliquid dicitur, quandoq; agere, alias verò non agere, sed modò præsens esse,

esse. Hinc necessarium dividi potest in duas quasi species, in *id* puta quod necessarium est tantummodo ut *præsens*, & illud quod necessarium est non ut *præsens tantum*, sed & ut *efficiens*. Alii id ita proponunt: Necessarium aliud est necessarium *ratione præsentiæ*, aliud *ratione efficientiæ*. Venerabilis Theologus in præclaro opere cui *Confessionis Catholicæ* nomen fecit, hac ratione Bellarmino satisfacit, quod istâ distinctione utitur, negatq; studium bonorum operum ad vitam æternam necessarium esse ratione efficientiæ; ratione præsentiæ autem necessarium esse concedit. Ipse vero Bellarminus lib. IV. de justificat. cap. VII. contendit, bona opera homini justo esse necessaria ad salutem non solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiant salutem, & sine ipsis sola fides salutem non efficiat. Cui homini quamvis respondere, in proclivi sit, nos tamen in præsentiâ id omittimus, Virisq; Theologis eam relinquimus operam. Hoc tantum monemus, male id cohærere, quod cum initio capituli dixisset, adversarios in eo convenire, ut opera bona non sint necessaria ad salutem nisi necessitate præsentiæ; quod, inquam, contra eosdem adversarios suos paulo post scribit, patientiam esse necessariam non solum ratione præsentiæ, sed etiam relationis ad salutem. Primò dicit, adversarios in eo convenire, ut bona opera tantummodo necessitate præsentiæ ad salutem sint necessaria. Quod si verum est, quid opus erat sic de patientiâ scribere ut Bellarminus fecit? Si quis dicat bona opera ratione præsentiæ ad salutem esse necessaria, is utiq; illis verbis relationem ad salutem manifestè includit: neq; igitur illud argumentis ab eo extorqueri est opus.

VII. Scripsit nuper venerabilis Theologus, si actio quædam ad aliquid necessaria dicatur, actionem istam non posse ut conditionem intelligi, sed oportere eam intelligi vel ut meritoriam causam, vel ut instrumentalem. Quâ in re Vir Cl. manifestè fallitur. Sexcenta licet huiusmodi proferre, in quibus actio quædam ad aliquid necessaria esse dicitur, nec tamen actio ista vel causa meritoria, vel instrumentalis, vel deniq; alterius generis causa est. Et licet ex nostris superioribus exempla repetere. Cum *ad medicamentum sumere* dicitur necessarium esse ad morbum depellendum, illud medicamentum sumere sive in stomachum immittere, quod sanè actio est, non causa est morbi depellendi, sanitatisq; reducendæ, sed est modò conditio. Sic & applicatio emplatri non est causa ejus quod vulnus coit: sed ipsum emplastrum est causa.

fa. Item, *ad* ire in templum, cum id necessarium dicitur ut verbum di-
vinum ibi audias, non causa est ejus quod verbum divinum ibi audis, sed
modo est conditio.

VIII. Necessarium istud quod hactenus consideravimus, vulgò
vocari solet *necessarium ratione finis*. Dividi solet item in *necessarium ad
esse & necessarium ad bene esse*. Nobis concinnum videtur id ipsum vo-
cari *necessarium respectivum*. Apparuit enim, comprehendere illud du-
plicem respectum: quodq; sic necessarium dicitur, id necessarium
est *alicui*, & necessarium est *ad aliquid*. Hic verò observari
etiam velim quendam Latinorum, itemq; aliarum gentium loquendi
modum. Tullius in primà ep. ad Brutum sic scribit: *Multa ejus
indicia, sed ad scribendum non necessaria*. Item in lib. I. de divinatione:
*Quæ prætermittam. tibi enim nota sunt: mihi ad commemorandum non ne-
cessaria*. Quæ non necessaria dicit ad commemorandum, fuerunt ea
quæ à Socrate divinata fuerant. Formemus nos similem *ῥῆσιν*: *Hoc mi-
hi non est necessarium ad faciendum*. Non autem existimandum est, hanc
ipsam prorsus geminam esse superioribus. Apparebat in superioribus
illis duplex respectus: ut nim. quod necessarium diceretur, intelligen-
dum esset necessarium esse *alicui & ad aliquid*. In his autem novis-
simis unus modo istorum respectuum apparet: is nimirum qui *Dativa*
exprimitur. Quod enim additum est *ad faciendum*, id talem respec-
tum, qualis in superioribus erat posterior ille, non significat. Cum
dico, *hoc mihi est necessarium ad faciendum*, *dieses ist mir nötig zu thun*,
tum nihil aliud volo quàm si dicerem, *Hoc facere mihi necessarium est*.
Apparet igitur *ad faciendum* pertinere ad enunciationis subjectum:
& poni sic pro infinitivo *facere*. In superioribus autem id cui hoc novis-
simum simile videri possit, pertinet omnino ad prædicatum. Exempli
gratià: Hujus enunciationis, *Medicamentum est mihi necessarium ad sani-
tatem recuperandam*, sola vox *Medicamentum* est subjectum: ejusdem
autem prædicatum sunt hæc verba, *necessarium mihi ad sanitatem recupe-
randam*. Ubi vero hanc enunciationem, *Hoc mihi necessarium est ad fa-
ciendum*, transformaveris hoc modo, *Hoc facere est mihi necessarium*:
apparet unum modo respectum hæc ratione expressum esse, alterum
verò esse subaudiendum. Sic & de enunciatione Tullii res se habet. Ea
talis est: *Hæc (à Socrate divinata) non sunt mihi necessaria ad commemo-
randum*. Licet eam sic transformare: *Hæc (à Socrate divinata)*
cong.

commemorare - non est mihi necessarium. Nunc subaudiendum est, ad quodnam Ciceroni non fuerit necessarium τὸ commemorare ea quæ à Socrate divinata fuerant. Fuit igitur τὸ commemorare ea quæ à Socrate divinata fuerant, Ciceroni non necessarium ad persuadendum, ad demonstrandum illud quod demonstrandum erat.

IX Cæterum apparet etiam, si dicatur, *hæc sunt necessaria ad commemorandum* pro *hæc commemorare est necessarium*, esse in istâ oratione hypallagen quandam. Qualis ferè etiam est, cum Latini dicunt, *Hæc res est difficilis ad credendum* pro *hanc rem credere est difficile*. Item, *Hæc sunt facilia ad intelligendum* pro *hæc intelligere est facile*. *Hæc sunt ad iudicandū facilima*, pro *hæc iudicare, sive de his iudicare est facilimum*. Germani nostri cū Latinis planè congruunt, adeo ut ipsa Latina quæ produximus, nostratium quibusdam suspecta esse possint. Dicimus vulgò, *disß ist leicht zu thun*, pro *dieses thun ist leicht*. Imò hunc posteriorem loquendi modum vulgaris usus planè non agnoscit. Perpetuò enim utimur priori isto. Latini autem non tantum sic loquuntur, *hoc facile est ad credendum*: sed ita quoq; *Hoc credere facile est*, vel, ut prædicatum ponant posteriore loco, *Facile est hoc credere*. Dicunt & hodierni Galli, *Cela est facil à croire*: non autem, *cela croire est facil*. Magis igitur illi cum Germanis nostris congruunt, quàm cum veteribus Latinis. Cum verò exprimerè volunt hæc Latina, *hoc non est necessarium ad faciendum*, itemq; hæc Germanica, *dieses ist nicht nötig zu thun*: dicunt, *Il est besoing de faire cela*. Itali congruunt cum Gallis, dicuntq; *E di bisogna di far questo*.

X. Porro & ἀναγκᾶν Philosophus animadvertit dici τὸ βίαιον καὶ τὴν βίαν, violentum quoq; ἔνιμ. Quid autem τὸ βίαιον violentum? & quam de re id dicitur? Τὸ πιεῖν & τὸ πάχειν, dicuntur βίαια cum ipsa actio aut passio sit τῷ ὄρει τὴν ὄρμην καὶ τὴν παρᾶίρεσιν, præter electionem ac voluntatem, hoc est, cum quis paritur, quod non vult, quodq; averfatur; cum item aliquid facit, quod non faceret, si impunè posset. Ipse Aristoteles ita habet: ἔπι τὸ βίαιον καὶ ἡ βία (ἀναγκᾶ λέγεται) τῷ δ' ἐστὶ, τὸ παρᾶ τὴν ὄρμην καὶ τὴν παρᾶίρεσιν ἐμπόδιον καὶ κωλυτικόν. Τὸ γὰρ βίαιον ἀναγκᾶν λέγεται. Primò dicit, τὸ βίαιον & τὴν βίαν ἀναγκᾶ dici. Ad

B

quid

quid autem illud τῆν referendum quod ilico sequitur? Ut ad proximum antecedens, τὴν βίαν puta, referatur, non videtur ferre Grammatica. Alioquin ea quæ sequuntur, τῇ βίᾳ optimè competunt. H βία vis utiq; ἐμποδίζει καὶ κωλύει ὡς τὴν ὁρμὴν καὶ τὴν ψευδαίρεσιν, impedit & prohibet contra alicujus appetitum & electionem. Exempli gratiâ: cum maleficus ad carcerem trahitur, apparet βία τις vis quædam. Et quidem ipse licitorum actiones βία vis dicuntur. Et isti τῇ βίᾳ respondet passio malefici. Si vero maleficus ipse incedat & ad carcerem pergat, metuens scilicet majus malum, ni faciat, sciensq; nisi ipse incedat, & ad carcerem pergat, se nihilominus eò delatum iri, tractum scilicet à licitoribus; si, inquam, maleficus sic incedat, intelligitur tum quoq; vis quædam esse. Et quidem ipsum illud, quod malefico instant lictores, eiq; verbera intentant, pro vi est habendum. Tum posterius hoc, tum quoq; prius illud ἐμποδίζει καὶ κωλύει ὡς τὴν ὁρμὴν καὶ ψευδαίρεσιν impedit & prohibet contra appetitum & electionem malefici. Vellet maleficus, si quidem liceret, liber & extra custodiam manere. Sed ista licitorum tractio, istave verberum intentatio, βία vis est, quæ impedit & prohibet, ne id quod cupit, possit. Sed vereor, ut in verbis Aristotelis vox τῆν tantum ad proximum antecedens, τὴν βίαν puta sit referendum. Videtur enim sic dicendum fuisse, αὐτὴ δ' ἐστίν, ἡ ὡς τὴν ὁρμὴν καὶ ψευδαίρεσιν ἐμποδίζει καὶ κωλύει. Ergo ad τὸ βίαιον referamus. Sic autem ipsa illa actio licitorum, quæ βία vis dicitur, Aristoteli, dicta fuerit βίαιον. Nec sanè id præter morem est Græcè loquentium. In phrasibus βιαιὸν τι πάσχειν, βιαιὸν τι ποιεῖν, quas optimi Græci Scriptores Thucydides, Plutarchus, aliq; usurpant, non aliter vox intelligi potest. Illud βίαιον quod quis ποιεῖ, nihil aliud est quam ipsa βία vis. Illud item βιαιον quod quis patitur, nihil est aliud. Deinde & ipsi illi qui τὴν βίαν vim inferunt, & actionem βιαιον parant, βιαιοὶ dicuntur. Apud Thucydidem lib. I. est, βιαιοὶ καὶ πλεονέκται.

XI. Porro verò vox βίαιον competit quoq; illis & actionibus & passionibus, quæ per vel propter βίαν vim fiunt. Exempli causâ: ista malefici hominis actio, quâ is ambulat, quò ambulare nollit βίαιον.

five

five βία (utramq; enim *πρωτον* usurpare licet) dici potest. Si item verberibus afficiatur aut tormentis, illæ ipsæ ejus passiones possunt βίαιον dici. Atq; hoc illud est, quod ipse Philosophus in quinto Metaphysicorū, ubi *πει τῶ ἀναγκαίῳ* agit, voluit. Verba ejus sic habent: τὸ βίαιον λέγεται ἢ ποιῆν ἢ πάσχειν τότε, ὅταν μὴ ἐνδέχεται κτ' τὴν ὀρμὴν διὰ τὸ βιαζόμενον. Optimè ista atq; clarissimè. Hoc sibi vult, τὸ *agere & pati*, cum non potes sic ut velles, propterea quod vis tibi inferatur, βίαιον dici. Tale verò *agere* est illud malefici, de quo dixi. Agit is, hoc est, ambulat, cum non contingit secundum voluntatem *agere* (cum non sic *agere* potest ut vellet) propter illud quod vim inferit, hoc est, quia lictores instant, ac verbera intentant, aut etiam graviora. Porro & ipsa illa malefici actio *ἀναγκαία necessaria* dicitur. Tumq; voces *ἀναγκασία & βία*, planè æquipollent. Atq; hujus vocis *ἀναγκαίον* significatus Aristoteles ex Eveno exemplum affert, hoc puta: *πάν γ' ἀναγκαίον πρῶτον ἀνασθῆναι ἐφ' ὅ, Omnis necessaria res tristis est.*

XII. Pergit Philosophus, sic differens: *Ἐπὶ τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, ἀναγκαίον φαμεν ἕτως ἔχειν.* Amplius illud quod non contingit aliter se habere, *necessarium* dicimus sic habere. Cum verò sic definivisset, mox subdit, secundum hoc *ἀναγκαίον*, cætera quoq; quæ jam præcesserant, *ἀναγκαία* esse dicta. Ipsa ejus verba sic habent: *Καὶ κτ' τὸ τὸ ἀναγκαίον, καὶ τὰλλα λέγεται πως ἅπαντα ἀναγκαία. Τὸ, πὶ γ' βίαιον λέγεται, ἢ ποιῆν ἢ πάσχειν τότε, ὅταν μὴ ἐνδέχεται κτ' τὴν ὀρμὴν, διὰ τὸ βιαζόμενον. ὡς ταύτην τὴν ἀνάγκην ἔσταν, δι' ἣν μὴ ἐνδέχεται ἄλλως. Καὶ ἐπὶ τῶν συναπίων τῶ ζῆν κ' τῶ ἀγαθῶ ὡσαύτως, ὅταν γ' μὴ ἐνδέχεται, ἔνθα μὲν τὸ ἀγαθόν, ἔνθα δὲ τὸ ζῆν, κ' τὸ εἶναι ἀνευ τινῶν, πάντα ἀναγκαία. Καὶ ἡ αἰτία ἀνάγκης ἐστὶν αὕτη.* Ostendit Philosophus quomodo secundum hoc tertium *ἀναγκαίον* duo priora eandem illam appellationem fortita sint. Et quidem *actionem* aut *passionem*, quæ per vel propter *βίαν vim* fit, dici *ἀναγκαίαν necessariam*, quia non contingat aliter *agere* aut *pati*. Exempli gratiâ, si ipse maleficus ad carcerem invitus quidem, sed tamen ambulat, aut eo per alios rapiatur, ista tum actio, tum quoq; passio *ἀναγκαία necessaria* dicitur, quia non contingat maleficum aliter *agere*

agere aut pati, διὰ τὸ βιαζόμενον, propter illud quod cogit, hoc est, propter licitorum vim aut minas.

XIII. Veruntamen ista malefici actio, & ista item passio, quarum utraq; ἀναγκασία dicitur, itemq; βίαία violenta, nonnihil inter se discrepant. Ambulatio ista sive incessus iste sic ἀναγκασίαι est, ut maleficus tamen eam actionem omittere possit, & solummodo patiatur. Possit maleficus humi procumbere, nec suâ ambulandi ac loco se movendi facultate uti. Passionem autem, quod puta ad carcerem rapitur ac deportatur, si ipse incedere nolit, eam, inquam passionem omittere, aut à se depellere haud perinde potest. Quamobrem & passionem istam nos referre velimus ad βίαίον istud quod Philosophus initio lib. III. Ethicorum definit: istam autem actionem referre velimus ad illud quod ibi μικτόν appellat. Τὸ βίαίον ibi sic definit: ἢ ἄρχῃ ἐξῴθεν τῶν αὐτῆς ὄντων, ἐν ἧ μὴδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων ἢ ὁ πάσχων, Cujus principium extrinsecus tale sit, ut neq; is qui agit, neq; is qui patitur, quicquam conferat. Addit & exemplum: quemadmodum si ventus, aut homines qui potestatem habent, nos aliquid deserant. Secundum istam definitionem non licitoris actio qui maleficum rapit, βίαίαι est dicenda: sed tantum passio malefici, τὸ ραπῆ, τραβῆ, deportari, isto nomine appellari potest. Deinde & actio ista quam tuâ manu ut instrumento, perperat alius quidam, secundum istam Philosophi definitionem βίαία violenta dici solet. B. Hornejus lib. III. phil. mor. c. 4. cum definitionem Philosophi commemorasset, mox ad eam sic differit: Sic violentia est, cum quis tempestate aut venti impetu aliquid abreptus fertur, quod volebat: aut cum vi quis manum tuam arripit eaq; alterum pulsat. Prius est pati, posterius agere: sed ita ut utriusq; rei principium externum sit, nec quicquam per se conferat ad eam agens aut patiens. Cæterum ista malefici actio, de quâ dicebamus, ad eas actiones videtur referenda, quas Philosophus μικταῖς vocat. Certè principium movendi instrumentarias partes in, hujusmodi actionibus est in ipso malefico. Quamobrem nec simpliciter in vitè facta talis actio dici potest. Nec rursus secundum superiorem definitionem dici potest βίαία, violenta. Secundum ista autem quæ ex libro V. Metaphysicorum produximus, rectissime ista actio βίαία dicetur, ut jam ante diximus.

XIV. Con-

XIV. Conferamus & illa, quæ Philosophus in lib. II. post. analyt.
 cap. XI. περὶ τῆς ἀνάγκης scripsit. Ἡ δὲ ἀνάγκη, inquit, διτλή. ἡ μὲν
 ἄνω καὶ φύσει, καὶ τὴν ὁρμὴν. ἡ δὲ βίαία ἢ ἄνω καὶ τὴν ὁρμὴν. ὡς περὶ ὁ λίθος
 ἐξ ἀνάγκης καὶ ἄνω καὶ κάτω φέρεται, ἀλλ' ἔτι διὰ τὴν αὐτὴν ἀνάγκην.
Necessitas autem duplex est: altera namq; est secundum naturam & appeti-
tionem. altera verò violenta, quæ est præter appetitionem ut lapis ex necessi-
tate & sursum & deorsum fertur, sed non ob eandem necessitatem. Quam
ἀνάγκην hic βίαίαν vocat Philosophus, ea nõ multum discrepat ab isto
βίαίᾳ quod ex libro III Ethicorum & ex lib. V. Metaph. allegavimus.
 Cum lapis sursum fertur, tum patitur lapis. Propellitur enim ab ho-
 mine quodam aut ab aliâ causâ in sublime. Atq; ista passio βίαία
 est: siquidem contra naturæ impetum illa fit. Naturalis lapidis ὁρμὴ
 est ista, quâ deorsum fertur & ad centrum terræ. Si igitur sursum fe-
 ratur, fit illud contra naturalem ὁρμὴν. Eadem verò passio quæ contra
 naturalem ὁρμὴν fit, dicitur etiam ἀναγκασία. Hic vero observa mihi
 discrepantiam, quæ est inter istam lapidis passionem, & eam malefici
 passionem quâ is in carcerem rapitur. Prior fit contra ὁρμὴν naturæ.
 Posterior verò fit contra ὁρμὴν voluntatis. Porro cum lapis deorsum
 fertur, tum agit lapis. movet enim se ipse lapis per naturalem quam ha-
 bet facultatem. Hæc autem lapidis actio, quæ per naturalem faculta-
 tem atq; ὁρμὴν fit, dicitur itidem ἀναγκασία necessaria, propterea quod
 si nihil impediat, siq; certæ conditiones non desint, talem actionem non
 contingit non fieri. Sic & ignis, quodocunq; certæ quædam condi-
 tionibus non deficiunt, semper urit, nec contingit ignem non urere.
 Quamobrem & ista ignis operatio ἀναγκασία necessaria dicitur. Con-
 trariâ verò alterius generis actio dicitur voluntaria: talis nim. quam præ-
 sentibus omnibus ad agendum necessariis conditionibus, tamen con-
 tingit non fieri. Atq; hujus generis actio est *ambulatio hominis, operæ*
artificum. Exempli gratia: statuarius ubi materiam satis aptam habet,
 eiq; satis propinquus est, cum itidem certis instrumentis est instructus,
 potest statuam conficere. Si jam conficiat aut confecerit, est ista actio
 statuarii non necessaria, sed voluntaria actio. Præsentibus omnibus ad
 agendum necessariis conditionibus potest tamen actio non fieri sive
 omitti, secus quàm operatio ignis aut motus lapidis ad centrum terræ

se habet. Habet verò ipse quoq; homo actiones necessarias, sive ipse quoq; non raro necessario agit quod agit. Cum cibus in stomachum, est ingestus, isq; ibi manet, non potest facere homo quin cibum istum concoquat: non aliter quàm ignis facere non potest quin urat. Potest quidem homo cibum egerere rursus, atq; ita impedire ne concoctio fiat. Hoc tamen non prohibet, quò minùs concoctio dicatur necessaria actio. Dictum jam antè est, ad necessarias quoq; actiones requiri certas conditiones. Ad id ut ignis comburat, necesse est materiam esse combustibilem; esse hanc fati propinquam: nec prohibens quippiam intercedere. Sic & ad illud ut concoctio fiat, necesse est cibum in stomacho manere, neq; rursus egeri. Posito verò hoc, cibum illic manere; amplius verò facultatem stomachi non esse debilitatam; positus, inquam, his intermittere homo non potest, quin istum cibum concoquat, sive nunquam contingit hominem non concoquere. Dicitur & ipsum agens sive efficiens *necessarium*, si ita agat vel efficiat, ut certis conditionibus positis non contingat ipsum non agere. Exempli gratià: ignis, cujus operationem diximus necessariam esse, ipse quoq; agens sive efficiens *necessarium* dicitur. Aliò verò nomine dicitur tale agens sive efficiens *naturale*: propterea quòd solà naturæ vi agit.

XV. Proponebamus paulò antè τὸ ἀναγκαῖον sub tertiâ definitione, quam Philosophus dedit, quòd nim. ἀναγκαῖον sit τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, quod non contingit aliter se habere. Et secundum hoc ἀναγκαῖον addidit Philosophus priora quoq; ἀναγκαῖα eodem illo nomine dici; nimirum τὸ βίαιον violentum, & ἔανδὸ τὸ ἀγαθὸν μὴ ἐνδεχεται ἢ εἶναι, ἢ γενέσθαι, ἢ πικρὸν δὲ πικρῶν ἀποβαλεῖν ἢ σερθηθῆναι, sine quo bonum non contingit aut esse aut fieri, vel malum aliquid repellere. Quomodo ergo fiat ut τὸ βίαιον quoq; dicatur ἀναγκαῖον, id proxime exposuimus. Porro & illud consideremus, quomodo factum sit, ut alterum quoq; illud eodem nomine ἀναγκαῖον sit dictum. Utamur ad id exponendum verbis Aristotelis. In libro primo de part. anim. cap. I. sic habet: ἡ δὲ ἀνάγκη ὅτι μὴ σημαίνει ὅτι εἰ ἐκεῖνο ἔσται τὸ ἔνεγκε, πάντα ἀνάγκη ἐστὶν ἔχειν. ὅτι δὲ, ὅτι ἐστὶν ἕτως ἔχοντα καὶ πεφυκῶτα. *Necessitas quandoq; significat, quòd si illud debeat esse, propter quod sunt alia, tum hæc ipsa necesse sit habere: aliàs verò, quòd sic se habeant, atq; naturâ sic*
compa-

comparata sint. Proponit hic Philosophus duas vocis ἀνάγκη signifi-
 cationes. Quarum prima est eadem illa, quam nos initio proposuimus.
 Ἀναγκαῖον ibi erat, sine quo bonum non possumus consequi aut ma-
 lum depellere. Nunc vero Philosophus dicit, ἀνάγκην significare,
 quod, si illud debeat esse cujus gratiâ fit aliud, tum & hoc ipsum aliud
 necesse sit habere. Capiamus exemplum. Medicamentum est
 ἀναγκαῖον necessarium ad sanitatem recuperandam. Quæ vero occa-
 sio, ob quam tale quid ἀναγκαῖον dicitur? Ostendit hanc Philoso-
 phus prædictis suis verbis. Quoniam, si sanitas debeat esse sive reduci, ne-
 cesse est medicamentum habere, ipsum medicamentum dicitur necessari-
 um ad sanitatem recuperandam. Si dicere velis, medicamentum esse
 necessarium ad sanitatem reducendam, possis idem illud etiam sic ex-
 primere; Si sanitatem recuperare velis, necesse est medicamentum habere.
 In hoc posteriori igitur loquendi modo apparet istiusmodi ferè neces-
 sarium quale tertio loco ex Aristotele proposuimus, nim. τὸ μὴ ἐνδε-
 χόμενον ἄλλως ἔχειν, quod non contingit aliter se habere. Si sanitatem
 recuperare velis, sive quod idem est, si sanitas reduci debeat, non con-
 tingit rem aliter se habere quàm ut medicamento utare. Est hæc enun-
 ciatio conditionalis: qualis & hæc est, Si asinus volat, necesse est eum pennas
 habere. Vides nunc, quàm rectè dixerit Philosophus, istud ἀναγκαῖον,
 quod primo loco propositum est, dictum esse juxta illud quod propo-
 situm est tertio loco. Quando ἀναγκαῖον necesse est te A habere, si B ha-
 bere velis, tum ipsum A dicitur ἀναγκαῖον necessarium ad B.

XVI. Sed redeamus nunc ad ἀναγκαῖον illud ordine tertium,
 juxta quod Philosophus censet appellationem sortita fuisse duo priora
 ἀναγκαῖα. Est illud tale, ὃ μὴ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν sive τὸ μὴ ἐνδεχό-
 μενον ἄλλως εχειν quod non contingit aliter se habere. Quibus verò hoc
 competere putabimus? An rebus singulis ac separatis? Exempli gr. igni,
 homini, cani: ut adeò ipse homo, dicatur ἀναγκαῖον, necessarius, ipse
 item canis, & ipse ignis: ut item ipse homo, dicatur μὴ ἐνδεχόμενον
 ἄλλως ἔχειν. Sanè Zabarella, itemq; alii, non abnuent, hominem quoq;
 canem, ignem esse inter ἀναγκαῖα necessaria. In lib. I. de Nat. Log.
 cap. II. exponit Zabarella, quasnam res ipse necessarias vocet. *Necessa-
 rias*, inquit, *res pocas, tum eas que ipsæ per se semper sunt, & nunq. fiunt, tum*

quæ

quæ sunt quidem, non tamen à voluntate nostrâ, sed à naturâ per certas causas operante. Hæ namq; etsi quatenus sunt singulares, non semper sunt, tamen quatenus ad universitatem rediguntur, & ita à certis causis dependere necessariò, considerantur, ut eas esse aut non esse, fieri aut non fieri, non sit in nostrâ voluntate constitutum, eatenus necessariæ dici possunt; cujusmodi esse res omnes naturales manifestum est. Ex his apparet, Zabarellam primò talem rem vocare necessariam quæ semper est, & nunquam fit. Hoc modo igitur angeli & corpora cœlestia fuerint res necessariæ. Ipsum Deum autem, omnium Autorem, eo comprehendere non poterit. Si enim quæram, quid per *res semper, & nunquam* intelligat, respondendum sanè erit, istis vocabulis non comprehendere durationem quæ ante mundum conditum fuit, sed illis modo significari *omne istud tempus quod inde à condito mundo decurrit*. Quòd si aliter intelligat voces istas, non poterunt prædictæ illæ substantiæ juxta istum quidem vocum intellectum necessariæ dici. Sunt eæ substantiæ aliquando factæ: sed sunt factæ in ipso rerum primordio. Postea autem eadem illæ substantiæ tales quales initio fuerunt, permanserunt. Deinde ista quoq; entia Zabarella vocat necessariæ, quæ sunt quidem, sed non per voluntatem nostram, sed per naturam, hoc est, per ordinem istum, quo ut transmutationes entium fierent, ipse Deus inde à primævâ creatione decrevit. Et huc referre volet hominem, canem, bovem, aliasq; substantias naturales. Ostendit item similitudinem quandam, quæ his & prioribus intercedat: esse sc. ipsum hominem aliquo modo sempiternum, ipsum item canem, ipsum bovem. etsi enim individua pereant, semper tamen existere species, & ubi quædam individua intereant, alia tamen nasci aut amplius esse pergere. Cæterum tam latas voces usurpavit Zabarella, ut actiones naturales quoq; illis comprehendere possint: non solæ substantiæ. Scilicet non loquitur de substantiis necessariis, sed de rebus necessariis. Res necessarias vocat omnes illas quæ sunt quidem, non tamen à voluntate nostrâ, sed à naturâ per certas causas operante. Juxta hæc igitur non ipse modo ignis, sed & actio ejus, ustio nimirum, res necessaria est dicenda. Est enim utiq; actio ista res quædam. Deinde non dependet à voluntate nostrâ, sed fit à naturâ per certas causas operante.

XVII. Sed dubium adhuc esse possit, utrum Zabarella ipsa singularia, sive individua rerum naturalium, res necessarias vocet, an verò universalia.

Galia. Dicit primo, se ea vocare *necessaria*, quæ sunt quidem, non tamen à voluntate nostrâ, sed à naturâ per certas causas operante. Quæ quidem ita se habent, ut facile ex illis colligere possis, ipsa quoq; individua, e. g. hunc hominem, hunc canem esse res necessarias. Licet enim ex datâ Zabarella definitione subumere hunc in modum: *Hic canis est res quæ non facta est à voluntate nostrâ, sed à naturâ per certas causas operante.* Verum, cum definitionem posuisset Zabarella, addit mox idem ille rationem, quandam, quam obrem res naturales ita vocet. *Hæc namq;, inquit, est quatenus sunt singulares non semper sunt; tamen quatenus ad universitatem rediguntur &c.* Sane ita hæc ejus verba sunt concinnata, quasi respondere velit ad objectionem quandam quæ contra definitionem datam ingeri possit: *eas nim. res non semper esse, atq; igitur nec necessarias posse dici.* Ipsâ vero responsione suâ videtur sibi hoc velle, *quamvis res naturales non semper sint, tamen posse necessarias dici, quatenus nimirum ad universitatem redigantur,* hoc est, quatenus à singularibus abstrahatur universale quoddam, genus vel species, homo e. g. canis, animal. Nos sanè de superioribus Zabarella verbis non aliter sentire possumus, quam quod malè illa cohæreant, nec certum aliquem præbeant intellectum. Ante nos vero ita judicaverat Scheiblerus, eadem illa esse valde intricata.

XVIII. Potest sanè τὸ ἀναγκαῖον etiam de incomplexis dici: neq; nos id inficias ibimus. Præcipuè tamen id dici videtur de complexis. Et ipse Philosophus quidem per proximam superiorem descriptionem videtur intelligere complexa. Exempli gratiὰ τὸ ἰγνὸν ὕρῃν ὀρεῖν, solem oriri sunt ἀναγκαῖα, hoc est sunt μὴ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν quæ nos possumus aliter habere, sive quæ non contingit aliter se habere. Et est illud in omnibus linguis satis frequens, ut loquendi modum usurpemus, qualis est iste, *Ignem urere est necesse:* aut, ut τὸ necesse ponatur priore loco, *Necesse est ignem urere.* Tullius alicubi: *Uri posse flammâ ligneam materiam necesse est.* Et alibi: *Corpus mortale aliquo tempore interire necesse est.* In libro de fato dicit, *homini necesse est mori.* Quæ verò occasio ejus quod hujusmodi ἄναγκαῖον usurpamus? Annon dicere sufficit, *ignis urit. Ligneæ materia urit potest flammâ. Corpus mortale aliquo tempore interire.* Quod τὸ necesse addere solemus, eo significare volumus, prædicatum cum subjecto arctissime cohærere: quod nim. non sit talis nexus, qualis

qualis est hujus enunciationis, *Homo currit*, sed quod sit multo arctior. Dicitur sane hac posteriori quoq; enunciatione unum de altero, *ad currens* sc. de *homine*. Sed non tam arcte cohaeret praedicatum illud cum isto subjecto, quam arcte praedicata & subiecta priorum enunciationum cohaerent. Quamvis verum sit *hominem, cum currit, currere, est* tamen in hominis arbitrio illud omittere. Homo qui currit, potest etiam non currere. Ad cursum requiruntur certae conditiones, e. g. ut ipse homo sanus sit, ut item vim non patiatur & compedibus non sit constrictus, ut solum habeat cui insistat, ut neq; internum neq; externum impedimentum obstet. Ubi vero nulla istarum conditionum deest, hoc est, cum satis sano validoq; corpore est homo, cum compedibus non est constrictus, cum solum habet cui insistat; potest tamen homo non currere, sive, quod idem est, potest eam actionem omittere. De prioribus autem enunciationibus longe aliter res se habet. Subjectum & praedicatum hujus enunciationis *Ignis urit*, tam arcte cohaerent, ut si modo certae conditiones non desint, non possit subjectum esse sine praedicato isto. Sic etiam, si dicam, *hominem aliquando moriturum*, tam arcte cohaeret praedicatum cum subjecto, ut homo facere non possit, quin aliquando moriatur. Non in hominis arbitrio est positum, sive velit, sive nolit: sed ita aliquando morietur, ut non possit non mori. Cum igitur id significare volumus, praedicatum cum subjecto ita cohaerere, ut subjectum sine praedicato esse non possit, tum usurpamus voculam *neesse*. Et imposuerunt Viri Logici huic voculae certum quoddam nomen, dixeruntq; *modum*: propterea quod ea significat, quo modo & quam arcte praedicatum cum subjecto cohaereat.

XIX. Tum vero cum voculam *neesse* in eum quem dixi finem addimus, enunciationis subjectum & praedicatum ponuntur obliquis casibus, & una cum copula constituunt novae quae sit enunciationis subjectum: *Tò nesse* vero novum constituit praedicatum. Capiamus exemplum. Haec enuntiatio *Ignis urit*, constat suo subjecto, suoq; praedicato, & deniq; etiam copula. Cum vero significare volumus, praedicatum ita cohaerere cum subjecto, ut, si certae modo conditiones non desint, subjectum sine praedicato esse haud possit, addimus voculam *neesse*. Sed totam priorem enunciationem tum oportet subjectum fieri, ejusq; subjectum & praedicatum casibus obliquis poni. *Tò nesse* vero fit praedicatum: quod ut cum novo, subjecto tum cohaereat, addenda
etiam

etiam est alia copula. Forma igitur enunciationis apparebit tans, *ignem urere est necesse*. Vides hic subjectum, prædicatum & copulam. *Tò ignem urere* est subjectum: *tò necesse* vero est prædicatum. Sed ipsum illud subjectum licet adhuc in partes tribuere, & in ipso quoq; subjectum & prædicatum animadvertere. Quare duplex jam subjectum, & duplex item prædicatum est. Ut vero ea discernantur, licet unum subjectum dicere principale, alterum minus principale. Unum item prædicatum principale, alterum minus principale vocetur. Et quidem *tò ignem urere* principale subjectum est: *tò necesse* vero principale prædicatum.

XX. Idem illud quod vocula *necesse* significatum imus, exprimere etiam solemus cognatâ voce *necessariò*: quæ alterius partis orationis est. Sed tum enunciationis forma talis est, *Ignis necessariò urit*. Quæ forma quantum differat à priori, facile æstimare licet. Primo voces *necesse* & *necessariò* diversarum partium orationis sunt. Deinde vox *necesse* ubi est in enunciatione, est ejus prædicatum: vox *necessariò* autem non est prædicatum, sed afficit copulam. Deniq; in hac enunciatione, *Ignis urit necessariò*, unum modo subjectum, & unum item prædicatum est: in alterâ vero duo sunt subjecta, & duo item prædicata. Græci item duplici modo loquuntur; primo sic, *ἀναγκάϊον καίεν τὸ πῦρ*: deinde hunc in modum, *ἀναγκάϊως τὸ πῦρ καίεν*. Cæterum & hoc observationem meretur, quod Latini non tantum dicunt, *necesse est hominem mori*, verum etiam, *Homini necesse est mori*. Quasi sola vox *mori* subjectum sit: prædicatum autem *necesse homini*. In alterâ illa *tò hominem mori* est subjectum: sola vero vox *necesse* est prædicatum.

XXI. Diximus paulo antè vocula *necesse* id significari, *prædicatum cum subjecto artissimè coherere, non posse aliter se rem habere, quàm ut prædicatum subjecto conveniat*. Non vero duntaxat, ubi id volumus nobis, vocula *necesse* utimur, sed etiam ubi significatum imus, prædicatum, nullo modo competere posse subjecto. Exemplum sit: *lapidem naturaliter non ferri sursum necesse est*. Cum dico, *lapidem naturaliter non ferri sursum*, tum id volo, *tò naturaliter ferri sursum*, non competere lapidi. Cum item dico, *Homo non currit*, itidem id volo, prædicatum non competere subjecto. Sed quæ non competere dico, ea diversi sunt generis. *Tò naturaliter ferri sursum*, adeo non competit lapidi, ut nunquam lapidi

apud inueniunt. *To currere autem homini, ubi is non currit, longe aliter nõ compatitur: non ita scilicet ut nunquam ei tribui possit tò currere, sed ut nunc quidem tribui non possit, alio vero tempore, quo nim. homo currit, rectissime ei tribuatur.* Cum igitur significare volumus, prædicatum cum subjecto nunquam conjungi posse, utimur itidem uoculâ *necesse*, ad eundem modum, qui paulo ante expositus est. Dicimus igitur, *lapidem non ferri sursum esse necesse, Hominem non esse bestiam esse necesse.* Omisâ uoculâ *necesse* enunciationes sunt huiusmodi, *Lapis non fertur sursum, Homo non est bestia.*

XXII. Quæ sit vis uoculæ *necesse*, cum ea enunciationibus additur, id jam apparuit. Cum uero ita fit, enunciatio dicitur *modalis*: quod scilicet modum habeat additum, hoc est, uocem quæ significet, quo modo prædicatum subjecto, conueniat. Porro uero illa quoq; enunciatio quæ uocem *necesse* non habet additam; ita tamen se habet, ut ea uox addi possit, *ἀναγκαία* *necessaria* appellatur. Exempli gratiâ: hæc enunciatio, *Ignis urit*, uocem *necesse* non habet additam; ita tamen se habet, ut uocem eam addi nihil uetet, diciq; adeo possit, *Ignem urere est necesse.* Quamobrem etiam enunciatio ista, ubi modum nondum additam habet, *necessaria* appellatur. Frequens est apud Philosophum, *ἐπεὶ τὰς ἀναγκαίαις* *propositio necessaria*: item *συμπέρασμα ἀναγκαίων*, *Conclusio necessaria*. Demonstrationem quoq; dicit *ἀναγκαῖόν τι* *necessarium* quid esse: & fieri ἐξ ἀναγκαίων *ex necessariis propositionibus*, ἐξ ἀναγκαίων ἀρχῶν *ex necessariis principiis*. Propositiones autem & principia uocat *ἀναγκαία* *necessaria*, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως εἶχειν *quia non contingit aliter se habere: ὅτι ἀδύνατον αὐτὰ ἄλλως εἶχειν*, *quia impossibile est illa aliter se habere.*

XXIII. Sed ipsæ enunciationes *necessariæ* inter se non parum discrepant, suntq; eæ diuersorum generum. *Necessariæ* enunciationes sunt istæ, *Ignis urit, Ferrum aquis non innatat sive pessum it, Lapis fertur deorsum*. *Necessariæ* item sunt hæc enunciationes, *Deus est iustus, Homo est animal*. Et quia *necessariæ* sunt omnes istæ enunciationes, licet quoq; singulis uocem *necesse* adicere, & sic modales facere: *Deum esse iustum necesse est, Hominem esse animal necesse est, Necesse est lapidem ferri deorsum, Necesse est ignem urere.* Quod uero *necessariæ* dicuntur enunciationes

nones istæ, quod item *non* necesse adijci potest, causa hæc est, quod res aliter se habere non potest, quam istis enunciationibus est pronuntiatum: quod prædicata earum enunciationum, partim non possunt non attribui subjectis suis, partim vero prorsus non possunt attribui. Prædicatum hujus, *Homo est animal*, non potest non attribui subjecto suo. Prædicatum hujus vero, *Ferrum aquis non innatat*, nullâ ratione subjecto suo attribui potest. Sed in istis prædicatorum attributionibus aut remotionibus magna adhuc differentia apparet. Quædam igitur propositiones necessariae sunt absolute necessariae, ita quidem ut ipse Deus facere non possit, ut prædicatum subjecto non conveniat, aut ut prædicatum conveniat subjecto. Tales propositiones sunt istæ de Deo, *Deus est justus*, *Deus non est mendax*, *Deus est Spiritus*, *Deus non potest non esse*. Deinde huc etiam referendæ videntur istæ enunciationes, quarum subjecta & prædicata sunt opposita: e. g. *nigredo non est albedo*, *Pater Pauli non est filius Pauli*, *Cæcus non videt*, *Homo non est canis*. Si Deus facere posset, ut ista prædicata non conveniant subjectis, ut item altera ista prædicata subjectis conveniant, faceret contradictoria. Ea vero quæ contradictionem involvunt, sub potentiam divinam non cadunt. Huc etiam referendæ videntur istæ enunciationes, in quibus genera prædicantur de speciebus: e. g. *Homo est animal*, *Animal est corpus vivum*. Non potest Deus facere ut homo non sit animal. Cum enim hominem dicor, tum animal jam includo. Si igitur Deus facere possit, ut homini non attribuendum sit animal, faceret tum quoque contradictoria, hoc est, faceret, ut animal non sit animal.

XXIV. Quid vero dicendum de istis enunciationibus quarum prædicata continent potentias naturales: e. g. *Ignis urere potest*, *Homo ratione potest uti*, *Homo potest videre*? Item quarum prædicata continent actiones ex potentiis naturalibus promanantes, ita ut à voluntate non possint impediri: e. g. *Ignis urit*, *Lapis fertur deorsum*? An hæc facere potest Deus ut prædicata subjectis non competant? Sanè si putes ignem non posse dici substantiam quandam, nisi quæ urere possit, atque ita cum ignem dicis, simul comprehendas potentiam urendi: dicendum erit, Deum facere non posse ut ignis urere non possit. Foret enim planissimè contradictio. Cum ignem dicis, suppono te potentiam urendi simul intelligere, eique substantiæ attribuere. Si igitur in enunciatione potentiam urendi ab igne removeas, subjectum & prædicatum enunciationis

sionis utiq; cōtradictionem involvent. Ita etiam Deus facere nō potest, ut
ad ratione posse uti nō competat homini, si per hominem nihil aliud intel-
ligas quā substantiam quæ ratione uti possit. Foret enim sic quoq;
contradictio. Hic vero sciendum, quædam attributa talia esse; ut nisi
adlint illa, ipsa substantia non possit nomine aliquo insigniri, atq; ne
ipsa illa attributa simul comprehendantur, cum nomen usurpas. E. g.
cum vocem *homo* usurpo, comprehendo & simul intelligo potentiam
ratiocinandi: comprehendo item istam externam formam. Alia vero
attributa sunt levioris momenti, ut in homine *ad ridere*. Potest autem
Deus & potentiam ridendi, & externam istam formam illi substantiæ
quæ homo dicitur, adimere. Si igitur homini potentia ridendi adime-
retur, posset, credo, nomine hominis adhuc insigniri. haberet enim ad-
huc præcipua. Si vero ista externa forma homini adimatur, & contra
ei detur forma bruti alicujus, quod sane Deus facere potest: tum sanè
substantia ista, si maxime potentiam ratiocinandi adhuc habeat, homo
dici non posset. Sic si canis Deus adimeret istam externam formam,
eiq; tribueret formam leonis, substantia ista canis amplius dici non pos-
set. Si vero potentiam latrandi Deus canis adimat, dici fortassis isto no-
mine adhuc possit. Libet adscribere verba Scheibleri, quibus is de
proximis superioribus enunciationibus differit. *Si prædicationum talium
sensus sit, inquit, quod earum prædicata subjectis inexistant, veluti quod in
homine sit illa qua itas sive illud accidens quod dicitur risibilitas: item quod
in igne sit illa qualitas sive accidens quod dicitur calor: tunc dicendum est esse
quidem propositiones istas necessarias, sed non absolute & prorsus immutabi-
liter. Sunt, inquam, necessariae propositiones, si loquamur juxta statum na-
turæ talium rerum. Non sunt tamen absolute necessariae propter dicta de se-
paratione propriorum à suis subjectis.*

XXV. Cum actiones naturales sunt in prædicato necessariorum pro-
positionem, nō sanè eæ propositiones sunt ita necessariae, ut prædicatū à
subjecto abesse prorsus nequeat. Item, enunciationes quæ sunt de exi-
stentiâ rerum creaturarum, non sic sunt necessariae, ut prædicatum subje-
cto nunquam non attribui possit. Cum dico, *Ignis urit, lapis fertur deor-
sum, Angelus existit*, sunt eæ enunciationes sic necessariae, ut prædicata à
subjectis nō quidē removeantur, remove tamen ea Deus possit. Potest
Deus actionem ignis & lapidis suspendere: potest Angelum in nihilum
redigere. Sic cum dico, *Sol movetur*, est ea enunciatio necessaria. Ita
enim

enim prædicatum conuenit subjecto, ut non contingat illud a subjecto remoueri. Nihilominus tamen potest Deus prædicatum remouere, facereq; ut Sol non moveatur.

XXVI. Deniq; sunt etiam enunciationes necessariae ex hypothesi, siue propterea quod aliquid supponitur: e.g. cum dico, *Petrus si sedet, sedet, Petrus si est Grammaticus, est Grammaticus*. Posito sc. aliquid esse & existere, non potest id non esse siue existere. In hanc sententiam differit Philosophus in lib. *ωει ερμ.* cap. IX. *Τὸ μὲν ἔν εἶναι τὸ ὄν ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὄν μὴ εἶναι, ὅταν μὴ ᾖ. ἀνἀγκη.* Ergo quod est, necesse est esse quando est; & quod non est, necesse est non esse quando non est. Veruntamen nec necesse est esse, quicquid est, nec necesse est non esse quicquid non est: quoniam quicquid est, esse ex necessitate quando est, non idem valet quod, simpliciter esse ex necessitate. Accuratè hic distinguit Philosophus, inter necesse aliquid esse quando est, & aliquid esse simpliciter necesse. Petrum sedere non est necesse. Potest id omittere & aliud facere. Veruntamen quando sedet, necesse est eum sedere. Scilicet idem non potest simul esse & non esse. Quoniam id verum est, Petrum sedere, cum sedet: non potest verum esse eum non sedere. Huc quoq; pertinet vulgatum illud: *Factum infectum reddi nequit.* Nim. si factum aliquid est, necesse est esse factum, nec potest esse non factum. Idem enim de eodem non simul affirmari & negari potest. Eodem modo, si aliquid futurum est, non potest non esse futurum, & necesse est id futurum esse. Item, si Deus præsciat aliquid futurum, necesse est id futurum esse. Nisi enim futurum esset, Deus non præsciret. Proditionem Judæ præscivit Deus reuera futuram esse, & in sacris literis eam prædixit. Quare necesse fuit proditionem Judæ fieri: Quod tamen non ita intelligendum est, quasi simpliciter necesse fuerit Judam prodere Christum. Distinguit Philosophus inter hæc duo, *quicquid est, quando est necesse est esse &, quicquid est necesse est esse.* Ita quoq; nos distinguamus inter ista duo, *si proditio Judæ futura fuit, necesse est eam futuram fuisse*, Et, *proditionem Judæ fieri necesse fuit.* Prior enunciatio vera est: posterior est falsa. Huc pertinet quod S. Petrus dicit in Act. I. 16. *ἔδει πληρωθῆναι τὴν γεαφὴν γαυτῶν, ἢ ὡσεύπε τὸ πνεύμα τὸ ἄγιον ωει Ιουδα.* Oportebat siue necesse erat scripturam impleri quam prædixit Spiritus S. de Judá. Scriptura implebatur, si fieret, quod prædictum erat. Si igitur necesse fuit Scriptu-
ram

non impleri, necesse quoq; fuit illud fieri quod prædictum erat. Quid
autem illud quod prædictum fuit? Proditio Judæ, ejusq; interitus. Qua-
re proditorem Judæ ejusdemq; interitum fieri necesse fuit. Sed non
absolute fuit necesse, sed ex hypothesi modo: quia sc. certo futurum erat,
atq; à Deo prævisum. Quo iplo non tollitur voluntatis arbitrium. Et ut
S. Augustinus lib. V. de Cic. Dei cap. X. habet: *Nulla modo cogimur aut
retentâ præscientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis
arbitrio, Deum quod nefas est, negare præscium futurorum: sed utrumq; am-
plectimur, utrumq; fideliter & veraciter constemur. Illud ut bene credamus:
hoc ut bene vivamus.* Itemq; ut paucis interjectis idem Augustinus
habet: *Non ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit. Imò
ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus præscientia falli
non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccatu-
rum præscivit, qui si nolit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit, etiam
hoc ille præscivit.* Tullium hic mire torfit, quomodo Deus possit præ-
scire, & tamen res non necessaria, sed fortuita & contingens esse. In
lib. II. de divinatione ita differit: *Nihil est tam contrarium rationi & con-
stantiæ, quàm fortuna, ut mihi ne quidem in Deum cadere videatur, ut sciat,
quod casu & fortuito futurum sit. Si enim scit, certo illud eveniet: sin ceritò
eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna. Rerum igitur fortuitarum
nulla est præsensio.* Rectè illud quod dicit, si Deus scit futura quædam esse,
certo & necessariò futura esse. Id autem minus rectè se habet, quòd pu-
cat, si certo quædam eventura sint, eo fortunam & contingentiam
tollit. Illud ipsum quod fit, quòd item certo futurum est,
posset tamen non fieri.



etiam est alia copula. Forma igitur ens
 ignem urere est *necesse*. Vides hic subjectum,
 τὸ ignem urere est subjectum: τὸ *necesse*
 ipsum illud subjectū licet adhuc in partes tri
 jectum & prædicatum animadvertere. Qu
 & duplex item prædicatum est. Ut vero e
 subjectum dicere principale, alterum mini
 prædicatum principale, alterum minus pri
 τὸ ignem urere principale subjectum est: τὸ
 dicatum.


XX. Idem illud quod voculā *necesse* fig
 etiam solemus cognatā voce *necessariō*: qu
 est. Sed tum enunciationis forma talis est,
 forma quantum differat a priori, facile æsti
necesse & *necessariō* diversarum partium or
necesse ubi est in enunciatione, est ejus prædi
 non est prædicatum, sed afficit copu
 enunciatione, *Ignis urit necessariō*, unum n
 item prædicatum est: in alterā verō duo sunt
 cata. Græci item duplici modo loquuntur;
 τὸ πῦρ: deinde hunc in modum, ἀναγκάσι
 hoc observationem meretur, quod Latini
 est *hominem mori*, verum etiam, *Homini ne*
mori subjectum sit: prædicatum autem *nee*
hominem mori est subjectum: sola vero vox *n*

XXI. Diximus paulo ante vocola *nee*
 cum subjecto *artiffime* coherere, non posse alite
 dicatum subjecto conveniat. Non vero dunt
 vocolā *necesse* utimur, sed etiam ubi signi
 nullo modo competere posse subjecto. Exe
 liter non ferri sursum *necesse* est. Cum dico,
 sursum, tum id volo, τὸ naturaliter ferri sur
 Cum item dico, *Homo non currit*, itidem id
 perere subjecto. Sed quæ non competere
 τὸ naturaliter ferri sursum, adeo non con

arebit talis,
 copulam.
 atum. Sed
 quoq; sub
 subjectum,
 licet unum
 Unum item
 . Et quidem
 principale præ

, exprimere
 is orationis
 d urit. Quæ
 primò voces
 Deinde vox
 ssariō autem
 q; in hac
 m, & unum
 item prædi
 καίον καίον
 Caterum &
 cunt, *necesse*
 quasi sola vox
 alterā illa τὸ
 ratum.

, prædicatum
 quàm ut præ
 umus nobis,
 prædicatum,
 idem natura
 liter non ferri
 petere lapidi.
 im non com
 suat generis.
 ut nunquam
 lapidi



the scale towards document